

www.e-rara.ch

Theses theologicae de conscientia, & sacramentis

Pfefferkorn, Chrysostomus

Typis Monasterii S. Galli, 1686

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-129817>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

12
THESES THEOLOGICÆ
DE
CONSCIENTIA, & SACRAMENTIS
QUAS

Rev.^{mo} & Illust.^{mo} S. R. Imp. Principi

DOMINO,

D.  ALLO

SS. GALLI, & JOANNIS

IN VALLE THURÆ ABBATI

Dignissimo, Patri Observandissimo,

Ad aras Natalitias suspendunt, dicant, propugnant

PRÆSIDIBUS.

RR. PP. CHRYSOSTOMO Pfefferkorn,
ET

DOMINICO Ritter, SS. Theologiæ in Mo-
nasterio S. Galli Professoribus

Infimi, atque devoti Filij

RR. RR. PP. JOANNES BAPTISTA Gembs,
LUCAS Graß, RAPHAEL Kolhund,

ET

FF. JOANNES Andler ab Andlern, SERAPHIM Kälin,
PAULUS Gugelberg, profess. Fabariæ, MICHAEL Wolf,
JODOCUS Müller, S. GALLI Professi.

Anno 1686. Mense Octobris die 17

Typis Monasterij S. GALLI.



DEDICATIO.



Mnes, Illustrissime Princeps, quotquot naturam sortimur, lege stringimur, canente Poëta :

Fata regunt orbem, certâ stant omnia lege.

Adeò, ut vitam auspicatos fascijs magis, an legibus strictos ambigam, *legem jam pridem naturam comitante arg. S. II. J. De rerum divis.* Non ergò miraberis Illust. Princeps, si & nos *Conscientia* legibus coarctati, ad Natalizantis pedes has de *Conscientia* Theses venerabundi deponimus : *Conscientia* enim hominis lex est docente Doctore Gentium : *Ipsi sibi sunt lex testimonium reddente illis Conscientia ipsorum Rom. 2.* quam si non observat, extra sphæram saltitat. Pij Patris regulam sequimur, cujus doctrina, & vita est, *legibus alligatum se Principem profiteri, & majus Imperio censere, legibus submittere Principatum l. digna vox 4. C. de LL. & Constit.* Te ergò Ductore, Te Doctore in aciem præliaturi descendimus, & ne dubites de valore, prælium, quod præliamur, *sacrum est*, quia *Sacramentis* expiatum. Acceptum erit, quia à Te directum, à Te dictatum, *Conscientia* enim *Cordis*, Galli (nam Gallus Hebraicè cor sonat) *Scientia* est Bernardo interprete. Spe certissimâ, ut, ubi nostræ non est locus tenuitati, ibi genuina materiæ gravitas (*Conscientiæ, & Sacramentorum*) à gravissima Illustrissimæ Cellitudinis tuæ dignitate ultroneam capiat benevolentiam. Laconico stylo utimur, quod artificis esse solet, *multa claudere in exiguo*. Admitte igitur Reverendissime Pater, benigno, quo soles vultu, filialis affectûs Theseram Natalitijs tuis aris suspensam, plurisque deinceps admissurus canos provectioris ætatis annos, Tibi, nobisque, *vive, save, vale.*

Ita vovent :

Illustrissimæ & Reverendissimæ Pat. ^{tis} Vestræ.

Infimi Clientes

Professores cum Discipulis.

DE CONSCIENTIA PROBABILI.

THESIS I.

Quia Conscientia dicitur *testificari Rom. 9. scire Eccles. 7. judicare 1. Cor. 10. errare, accusare, excusare, ligare, reprehendere, applicare universalem de rebus agendis cognitionem ad res particulares D. Thomas 1. p. q. 79. a. 13. in O.* At omnes istae sunt actiones intellectus: recte describitur, esse *judicium praconsultatum, & certum, moralis operationis immediatè directivum. ex D. Thoma loc. cit.*

II.

Quod efficaciam habet ab uno, eoque primo principio habitus primorum principiorum, qui dicitur *Syntherefis S. Thomas 1. p. q. cit. ad 3.* Quometa-physicè certi reddimur de hac veritate complexa (*quidquid alicui spectatis omnibus saltem invincibiliter videtur esse licitum, est licitum*) arg. *Rom. 14. Omne quod non est ex fide (Id est Conscientia per c. litteras de Restit.) peccatum est.*

III.

Quamobrem si Doctor Angelicus in 3. distinct. 34. q. 1. a. 2. asseras (*quod homo certitudinaliter sentiat de his, quae agenda occurrunt, supra hominem est, &c.*) Non est intelligendus de judicio Conscientiae praefato; hoc enim oportet esse metaphysicè certum per reducibilitatem analytico-dialecticam in principia synthereseos. Est itaq; intelligendus de judicio moralium operationum mediata duntaxat, & remota directivo.

IV.

Quod, ut in syllogismo practico se habeat ad instar conditionis declarantis, conclusionem practicam (quae est ipsum Conscientiae

scientiæ judicium) contineri in universali, & metaphysicè certo synthereleos, aut prudentiæ dictamine, quo innotescit (omne illud esse licitum, quod alicui spectatis omnibus saltem invincibiliter videtur esse licitum) exigit moraliter duntaxat esse certum. Quæ certitudo oritur ex gravi fundamento, tali nimirum, quod suo nativo pondere possit inclinare ad assensum virum prudentem, & omni exceptione majorem, pietate & doctrinâ, nec non exactâ rerum discussione celebrem, qui non sinat se, quocumque levium opinionum flatu agitari. *Opinio enim vehemens pro certitudine (moralis) habetur. arg. c. veniens de Presbyt. non baptiz.*

V.

Licet igitur judicium, sive sententiâ tenuis, aut levis fundamenti, non possit esse regula, ne quidem remora, & mediata actionum moralium *per Bullam Innocentij XI. de anno 1679. in qua propositio sequens ex catalogo probabilium relegatur (Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, consisti aliquid agimus, prudenter agimus)* quòd tamen opinio vehemens, etsi minùs probabilis per se loquendo vim habeat actionum moralium mediatè directivam, & ratio suadet; quia fundare potest per principia moraliter certa, conclusionem metaphysicè certam, quæ sit ipsum Conscientiæ dictamen. Et insuper tam Canones, quàm leges insinuant, quæ dum ex duabus circa turpitudinem, & honestatem actionum inter se pugnantibus sententijs, probabiliorē eligunt sub formalitate consilij, ad certius vitandum falsitatis etiam materialis periculum, minùs probabilem aliorum Authorum laudant, & in praxi formaliter tutam declarant. Videantur *c. litteras tuas de Restit. Spoliat. cap. ex parte tua de Convers. Conjug. Clement. unic. de SS. Trinit. c. ex litteris de probat. S. ult. Instit. qui, & quibus ex causis manumittere non possim. S. 25. Instit. de rerum divis. l. 20. ff. de R. J. l. 41. de R. J. l. 56. eod. l. 99. ff. de V. O.*

VI.

Prinicipia moraliter certa alia sunt extrinseca, virorum prudentium gravi Autoritate fulta; quatenus *per. c. extra d. 64. Intergrum*

grum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur. Modernorum maxime Theologorum, quorum doctrinam Concilium Viennense plurimi facit in *Clement. de SS. Trinitat. ad finem*. Alia sunt intrinseca ex intimis syntherefeos, prudentiæve visceribus accepta, cujusmodi sunt (*In quacunque materia dubia melior est conditio possidentis libertatem*. In obscuris, quod minimum est sequimur. Acerta possessione nemo est privandus propter incerta supervenientia argumenta. Certitudo fortior est, quam ut à probabilitate vincatur. Lex, qua non est sufficienter promulgata, neminem obligat. Legem oportet esse claram l. 99. ff. de V. O. &c.) His similibusque principijs intellectus fecundatus se metaphysicè certum reddit, Senem v. g. qui sexagesimum suæ ætatis annum complevit, non peccasse, qui diebus jejuniorum ab Ecclesia præceptorum, binâ refectioe usus est, hoc argumento persuasus. (Quicquid alicui spectatis omnibus videtur esse licitum, est licitum. Atqui plurimis moderni ævi Theologis Authoritate gravibus (quorum 150. Antonius de Sarasa recenset à sæculi 15. anno 30.) (quorum æstimatio in rebus ad mores spectantibus magna est (quamdiu de falsitate non constat evidenter) per cap. extra dist. 64. & l. 6. C. de V. I. E.) videtur esse licitum, post omnem adhibitam circumspeditionem, adeoque invincibiliter, sequi minus probabilem sententiam; ergò licitum est illam sequi. Hæc conclusio, quia practica, est ejusdem certitudinis, cujus Major est, atque adeo metaphysicæ. Subsumit. Atqui minus probabilis est sententia tradens 60. annorum senem exemplum esse à necessitate jejunijs ab Ecclesia præcepti. Sanchez lib. 7. de Martim. D. 32. n. 7. Ergò metaphysicè certum est, hunc senem non peccasse bis reficiendo. Ergò formaliter æquè certus, ac tutus fuerat, sequens minus probabilem, ac fuisset, si probabiliori se accommodasset, quod cæteris paribus consultius fuisset, si nimirum adhuc vegetus, & integris viribus extiterit.

COLLORARIA

1.

PRæceptum, contractus, votum, virtus superior, jus tertio acquisitum, consequutura absurda, periculū omittendi aliquid

A 3

ad fa-

ad salutem physicè necessarium, cujus defectum ignorantia invincibilis haud suppleret, iudicio speculativo probabili vim adimunt, pariendi propositionem practicè probabilem; licet enim V. G. speculativè sit probabile aquam rosaceam sufficere ad valorem Baptismi; huic tamen Reverentia Sacramenti vim adimit inferendi hanc propositionem reflexam; ergò licitum extra casum necessitatis aquà rosaceà baptizare.

2.

Iudex fori, aut ex præcepto, aut ex quasi contractu universim obstringitur sequi opinionem probabiliorē. *per Bullam Innocentij XI. suprà cit. propos. 2.*

3.

Advocatus tamen potest licitè suscipere quamvis opinionem minùs probabilem defendendam, dummodo admoneat partem litigantem de qualitate suæ causæ. Alioquin justè illi dicitur, ut inquit D. Ambrosius in quodam serm. Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisi, iudicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.

4.

Peractà confessione Sacramentali pœnitens jus acquirit, obtinendi à Confessario absolutionem, quamvis nolit probabiliori ejusdem Confessarij opinioni morem gerere.

5.

Ex contractu implicito Medicus corporis tenetur ad medicinā adhibendam certius profuturam, quia eligitur, ut sanet optimo modo. Nec licet à Medicina animæ ad corporis Medicinam argumentari, quia hæc physicè ad salutem est necessaria, nec ignorantia invincibilis suppleret defectum.

6.

Tanta est fidei excellentia, ut ab infidelitate minimè excusetur non credens ductus opinione minùs probabili. *Bull. cit. propos. 4.*

Proba-

Probabilius est Immunitatem B. V. à Mellifluo & Angelico Doctoribus nunquam impugnata fuisse. Quin potius argumenta valida relictâ, quibus eandem fortiter propugnemus. Si enim Doctor Angelicus ex cultu Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ad ejus sanctitatem arguebat *in lib. 4. sent. d. 6. q. 1. a. 1. sed contra 2.* quidni & nos ex immaculatæ conceptionis B. V. Festo, & officio, ex mente ejusdem Doctoris post annum 1483. argueremus ad ejusdē immunitatem ab omni labe? Licet autem S. Bernardus Epist. 174. invehatur in Lugdunenses Canonicos, quod inconsultâ Romanâ Ecclesiâ Conceptionem B. V. celebrârint. Constat tamen, idque *P. Manriquez in Chronic-Cisterc.* eruditè probat, Lugdunenses reprehensos fuisse, quod juxta opinionem tunc exortam Conceptioni materiali, ante animationem tantum honorem detulerint, quod utique inconveniens erat; quia & nos illam potentiâ contrahendi labem, quam vocant peccatum originabile, haud caruisse credimus. Quin ultima Epistolæ verba declarant, Doctorem Mellifluum moderno tempore, si viveret, fore Apem argumentosam hujus prærogativæ, sic enim claudit Epistolam (*qua autem dixi absque præjudicio dicta sunt sanius sapientis Romana præsertim Ecclesiæ, cujus auctoritati atque examini, sicut & cætera, quæ hujusmodi sunt, universa reservo, ipsius, siquid aliter sapio, paratus judicio emendare.*)

DE SACRAMENTIS.

THESIS I.

Ubi agitur de Sacramenti valore, fas est tutam amplecti opinionem relictâ tutiori: abest enim periculum irritationis: At nefas probabilem. *DD. ex c. non ut. de Baptis.* Siquidem error defectum non supplet. *Arg. c. si quis, De Presbyt. non Baptiz.* Excipe necessitatem,
Ergo infer

I.

In consecratione Calicis illa verba, *Novi, & æterni &c.* per se tutò omitti posse. *Arg. c. Panis. d. 2. de Consecrat.*
At tutius est ea addere?

R. Num

R. Num ideo, quia tutius, ejus oppositum erit periculosum? annon per se tutius est in Consecratione Panis addere illa verba (*quod pro vobis tradetur*) num ideo Ecclesia Latina errat, dum ea addenda non præcipit? absit. *c. ad abolendam, De heret.*

II.

Beneficio erroris communis non suppleri defectum Baptismi, Ordinis &c. *S. Th. 3. p. q. 35. a. 3. in suppl.* Et ideo in dubio tum juris, tum facti in iterationem Baptismi &c. potius inclinandum est. *DD. ex c. de quibus. de Baptis.*

At dubitant, an licita sit iteratio?

R. Favendum potius esse suscipienti, quàm Sacramento. *Arg. c. si nulla. d. 4. de Consecrat.* Hoc enim in illius favorem est institutum.

Excipe 1. Sacramentum Pœnitentiæ, in quo error communis jurisdictionem supplet. *DD. ex l. Barbarius ff. de offic. præ. c. infamis. 3. q. 7.*

Excipe 2. Matrimonium cum impedimento probabiliter nullo initum. *DD. ex cit. l.* Secus cum impedimento irritante certo, etsi invincibiliter prius ignorato, contractum. *c. litteras. de restit. spoliat. c. inquisitioni de Sent. Excom.*

III.

Ad dubium juris in materiâ Sacramentorū deponendum, requiri absolutam certitudinem. *Arg. c. Ad abolendam. de heret.* Ad dubium facti sufficere moralem. *c. veniens. de presbyt. non baptiz.*

Quæres, unde habeatur absoluta certitudo ad dubium juris deponendum?

R. Ex testimonio Ecclesiæ. Unde tenemur sub anathemate in materiâ Sacramentorum illi obedire. *c. Ad abolendam. de heret.*

Sed quid si erret?

R. Implicare ex supposito Christi mandato. *Math. 18. 17.* Aliàs quæ errandi necessitas non foret? vel enim obedirem Ecclesiæ vel non? si obedirem, & ipsa erraret in ijs Sacramentis, quæ dicuntur necessaria necessitate medij in re vel voto, quomodo salutē consequeretur? si non obedirem; audirem Ethnicus, & Publicanus. *Math. 18.* At quæ spes Ethnico, & Publicano ad salutem? *C. una de summ. Trinit. Aug. l. de fide ad Petrum. & in c. firmissimè de heret.*

T H E S I S II.

Intentio est de necessitate Sacramenti. Sufficit virtualis. *Trident. sess. 7. can. 11.* Actualis enim ordinariè moraliter est impossibilis. *S. Th. 3. p. q. 64. a. 8. ad. 3.* At inefficax est habitualis, & interpretativa. *DD. ex 1. Corinth. 4.* Sacramentum enim est signum humano modo significativum. *S. Th. loc. cit.*

Ergo infer

I.

Baptismus (eadem ratio de Matrimonio) ab hæreticis collatum verè esse Sacramentum.

At formant intentionem Ecclesiæ contrariam ?

ry. Eam etiam in dubio præsumi inefficacem, nec à pravo affectu, sed ab ignorantia proficisci. *DD. cum Glos. ex c. Dudum de Præsumpt. & L. merito. Pro Socio. Limita,* nisi aliunde dubium rationabile de Baptismi, Matrimonijvé valore oriatur.

II.

Distractionem in baptizando, consecrando, absolvendo &c. valori Sacramentorum non obstare; at benè somnum, vel ebrietatem. *Collig. ex S. Th. 3. p. q. 78. a. 4. & 5.*

T H E S I S III.

Sacramentum indigno administrare est grandepiaculum. *DD. ex Matth. 7. 6. Nolite &c. c. Nonnulli. d. 1. de penit. Minister enim debet esse fidelis Dispensator Mysteriorum Dei. 1. Corinth. 4. sanct. Chrysost. Homil. 83. in Matth. Limita,* nisi justa causa excuset. Tunc enim nec cooperaris ad malum, nec contra officij tui obligationem agis.

Ergo infer

I.

Oculto peccatori publicè petenti *SS.* Eucharistiam negandam non esse. *Communis cum S. Th. 3. p. q. 80. a. 6.* Secus si petat privatim. *Sed intentat mortem, nisi des ?*

ry. Nec tunc licere indigno Sacramentum dare. *Art. c. sacr. de his, que vi.*

B

II, Dan-

D Andam esse SS. Eucharistiam etiam indigno, & privatim petenti, si indignitas ex confessione sit cognita. *DD. ex arg. cap. omnis utriusque. de pœnit. & remiss. c. Sacerdos. d. 6. de Pœnit.*

Dices, administratio indigno facta vel est intrinsecè mala, vel non? si prius, quo pacto licebit sancta dare illi, quem scis ex Confessione indignum, vel etiam occulto peccatori, at publicè petenti? si posterius, cur non æquè excuset si do Sancta indigno privatim petenti, si negari non potest absque periculo vitæ?

rz. Legem Divinam, quâ prohibemur sancta dare canibus, obligare cum periculo vitæ: nisi superveniat altior ratio excusans, qualis non est metus mortis *S. Chrys. loc. cit.* Tenetur enim Minister procurare ne Sacramentum cum læsione juris Divini, & absq; fructu conferatur, *DD. ex 1. Corinth. 4.*

T H E S I S I V.

O B justam causam Sacramentum petere licet à quovis Sacerdote etiam hæretico cum prævisione indignæ administrationis. Causa enim justâ existente, cenferis moraliter impotens, nec alterum ad peccatum inducis. *Arg. c. Quomodo exaudit. d. 4. de Consec. cap. Qui potest. 23. q. 3. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7.*

Ergo quia non potes, nec teneris à petendo desistere. *Arg. c. Nemo. de R. I. in 6. Limita*, nisi hæreticus Sacramentum cum ritibus suæ sectæ protestativis administret. *c. capit. 24. q. 1. S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. Quæ enim conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? 2. Corinth. 6. 15.*

Ergo infer

I.

L Icere in articulo mortis ab hæretico sacerdote absolutionem petere. *Trid. sess. 14. c. 7.* At nullatenus extra hunc articulum: hoc enim esset petere rem intrinsecè malam, ac inducere alterum ad peccandum. *Nulli autem debemus laqueum injicere. c. 42. De Viduis. 27. q. 1. Væ enim homini &c. Math. 18. v. 7. c. Non est innocentia. 23. q. 5.*

II.

A Dire olim (pro certo tempore) SS. Communionem sub unâ specie sumendam, fuisse grande sacrilegium. *c. comperimus. d. 2. de Con-*

de Consecrat. Et vicissim pro alio tempore sub utraque. Quantom-
nūs hodie cœnam Calvinisticam adire licebit? juxta illud: *non po-
testis mensa Domini participes esse, & mensa demoniorum. 1. Corinth. 10. 21. arg.
c. si quis inquit. 1. q. 1. Collig. ex S. Th. 2. 2. q. 94. a. 2.*

Dices, saltem ob metum mortis, vel infamiae licebit inten-
tionē terminare ad ejusmodi manducationē, ut est res adiophora?

¶ Id licere Metaphysicē, at non practicē, obstante præcepto
Confessionis Fidei: de quo *Luc. 9. 26. Aug. inc. Qui resistit. 11. q. 3. & c.
Imperatores. Eadem. S. Th. 2. 2. q. 3. a. 2.* His adde periculum simuland-
di veram Fidem, ubi non oporteret simulare. Hoc enim princi-
pio admissio, quàm non facile quis suam intentionem terminaret
etiam ad idolum, non quā idolum sed quā creaturam cultūs divi-
ni transitive capacem, si thus ob metum mortis illi adolendū esset?

T H E S I S V.

AD Sacramenta mortuorum fructuosē suscipienda sufficit at-
tritio. *Trident. sess. 14. c. 4.* sed hæc non supplet defectum Sa-
cramenti, bene autem contritio, vel dilectio. *Luc. 7. & Ezech. 18. S.
Aug. c. Baptismi vicem. d. 4. de Consecrat. c. Debitum. de Baptis.* Porro in ar-
ticulo mortis quilibet Christianus in dubio præsumitur attritus,
ergo & petere Sacramenta necessaria. *arg. c. sancimus. 1. q. 7.*

Ergo infer

I.

IN articulo mortis sufficere veram attritionem cum Sacramen-
to. Ita communis opinio, ergo & tuta. *Ex arg. c. prudentiam. De
offic. jud. Deleg. & Trident. loc. cit.*

Dices. At pro eo articulo tenemur tutiora sequi? *Arg. c. consi-
deret. d. 5. de Pœnit. Math. 16. 26.*

¶ Hoc esse consilij non præcepti. Ergo cū non extet præ-
ceptum de eliciendā contritione in ordine ad Sacramentum Pœni-
tentiae, non debet sine causā induci nova obligatio. *Collig. ex S. Th.
Quodl. 9. q. 7. c. Final. de Transact. c. Legatur. 24. q. 2.*

II.

A Catholicis longē tutiora justificationis media statui, quàm
à sectarijs. Nam contritio, sive Dilectio in defectu Sacramen-
ti vel

ti vel est necessaria necessitate medij ad justificationem, vel non?
 si non est, saltem nihil oberit. *Arg. c. Apostolicam, de Presb. non Baptiz.*
c. His, qui. 26. q. 6. & c. agnovimus. Eadem. Si est, quantum non peri-
 culum erit, eam neglexisse? quid enim proderit solum credidisse,
 & non doluisse aut amasse? *Rom. 2. 13. & 1. Corinth. 13. 2. c. si quis autem.*
d. 3. de Poenit.

III.

P Arochos teneri ex iustitia Sacramenta saltem necessaria mori-
 bundis administrare. Collig. ex *Trident. sess. 23. c. 1. de reformat. c.*
si Presbyter. 26. q. 6.

At moribundus nullum signum dedit?

R. Si certo constet non dedisse, negandam esse absolutio-
 nem. *Arg. c. is, qui poenitentiam. 26. q. 6.*

Sed Christianè vixit?

R. Hoc non sufficere. *Arg. c. Quomodo. 11. q. 3. Limita,* nisi ad
 hoc, ut in dubio præsumatur dedisse signum.

Sed quid agendum cum moribundo ebrio?

R. In dubio ebrietatem præsumi aut semiplenam, aut invo-
 luntariam. *DD. cum glossa in L. Merito, pro socio. & c. abst. 11. q. 3. Ratio,*
quia in obscuris inspicimus, quod plerumque fieri consuevit. c.
inspicimus. de R. I. in 6. Ergo sine culpa (quæ plerumque abest in eb-
rietate) suo jure, quod moribundus habet saltem ad S. Viaticum,
& S. Unctionem non potest privari. Arg. c. Discretionem, de eo qui cogno-
vit. & c. 41. Nemo. 11. q. 3.

Quæres, an ebrio danda sit absolutio?

R. Dandam esse sub conditione, si spectatis circumstantijs
 dubium sit, an signum dederit. In dubio enim præsumitur dedis-
 se, puta, si ebrietas fuit semiplena. &c.

F I N I S.

